



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE GAUDEMUS SANETEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM
S. LAURENTII MARTYRIS

ET S. ZDISLAVAE, IN DIOECESI LITOMERICENSI,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Gaudemus sane quotiescumque
ocasio Nobis datur significandi Nostram pietatem in sanctos, qui multiplici intercessione in suo perstant officio aeternae
salutis dona conciliandi. Ideoque, cum Venerabilis Frater Iosephus Koukl, Episcopus Litomicensis, sanctorum cultum
alere ac fovere cupiens, cleri populique sibi concrediti vota interpretatus, petierit ut templum Deo dicatum in honorem s.
Laurentii martyris et s. Sdislavae in oppido vulgo dicto Jablonné v Podjestedi, in dioecesi Litomicensi, ad dignitatem
Basilicae Minoris eveheretur, petitioni libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et
Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra aedes quam diximus
ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine
insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno
MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris,*
die XXV mensis Iunii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana